R. 21 Iunii 1608 Bellarminus Ioh. Crollio. Col. Agripp.

F Ipse enim neque promisit aliquid, neque promitti iussit.

Clarissime Vir.

Ante duas hebdomadas scripsi me aliquod subsidij ad paupertatem tuam sublevandam omnino procuraturum: Summus Pontifex non agnoscit debitum adimplendae promissionis alienae. F Verumtamen tum ipse, tum Cardinales Domini, qui negocijs conservandae fidei praesunt, visis literis quas ad me misisti, miserati sunt aerumnas tuas et mitti iusserunt ad te munusculum scutatorum quadrigentorum. Has pecunias recipies de manu Rev.mi Nuncij Apostolici, qui Coloniae degit. Filius tuus nondum appulit ad urbem, sed ubi appulerit efficiam continuo, ut in Collegium Germanicum recipiatur. Vale, et omnem ~~meam~~ sollicitudinem in Deum proijcito: ipsi ~~??~~ enim erit cura de te, si tibi vicissim timor, et honor ipsius curae fuerit.

Datum Romae, die 21 Iunij 1608.

(manu Bellarmini:) fidelis amicus ac tuus in Christo
velut frater
Robertus Card. Bellarminus

Clarissimo viro uti fratri Dno Ioanni Crollio.
(stemma Cardin)

Archiv Familiae von und zu Mühlen: Haus Ruhr bei Münster. Nota Patris E. Raitz von Frentz S.J.

Ibidem epistola parva anni 1593 Bell' ad Patrem Ioh. Cremer S.J., in qua dicit partem III Contr. suam vidisse et se esse creatum Rectorem Coll. Rom.